

# FABULARIA

sive de "Rerum gestarum principum et regum Poloniae" saeculo XIIo a Vincentio Kadlubek compositarum origine comoedia in Seminario LVPAno Cracoviensi anno MMXII celebrato a Caecilia Koch composita et a participibus acta

## SCAENA I

*Anno MCLXXX p. Chr. n: Monachus iuvenis Cracoviae in horto monasterii sedet et legit. Vincentius Kadlubek, alius monachus eiusdem monasterii, hortum intrat.*

Mo.: Salve, frater Vincenti! Iamne apud principem fuisti?

Vi.: Modo reverti.

Mo.: Quid te voluit? Omnes tantopere mirati sumus, quod te ad se venire iussit.

Vi.: Ego quoque miratus sum. Sed cum mihi causam patefaceret, vix auribus meis credidi.

Mo.: Dic tandem!

Vi.: Vult me librum de gestis populi nostri componere!

Mo.: O quantus honor! Semper sciebam te doctissimum esse.

Vi.: Re vera putas me tantum opus suscipere posse?

Mo.: Recusare certe non potes.

Vi.: Sed quomodo hoc perficiam? Nullo modo intellego, quare princeps mihi potissimum hoc officium imposuerit. Iuvenis sum, neque clarus neque tam doctus, quam dicis... Hoc est opus summi vir, fortasse episcopo Cracoviensis, non monachuli ignoti!

Mo.: Episcopo Cracoviensi non est otium libros scribendi.

Vi.: Certe. Satis occupatus est missis celebrandis, parochiis visitandis, animis hominum regendis...

Mo.: Utinam talibus rebus incumbere posset! Nunc paene totus in re publica versatur, vel potius in re privata principis et fratris eius. Dum Mesco dux Cracoviam obsidet, dies noctesque moenia urbis circumibat, animos defendentium exhortabatur, quin paene iam potius dux militaris quam episcopus esse videbatur. Expugnata autem urbe certe clam aliquid contra Mesconem efficere conabatur. Nunc vero, postquam Kazimirus princeps fratrem vicit, consilia de pace agentium regit. Otium ei fortasse numquam erit. Et si verum est, quod heri audivi - Mesconem, filium eius omnesque nobiles, qui eum in bello adiuwabant, sine ulla poena liberatos et dimissos esse, Mesconi autem etiam permissum esse provincias suas retinere - sine dubio mox novum bellum orietur. Nescio, quomodo episcopus aliquid tam insani suadere potuerit.

*Vincentius anxius circumspicit.*

Mo.: Noli timere! Hic nemo nos audit.

Vi.: Quid autem, si re vera, ut dixisti, Mesco iterum bellum contra fratrem geret et fortasse principatum recuperabit? Nonne, si in opera meo bene de Kazimiro scripsero, graviter me puniet?

Mo.: Haec est quaestio difficilis... Potius a laudibus eius abstinence, sed tantum facta narra.

Vi.: Sed quid Kazimirus de hac re dicet, si princeps manebit vel Mescone iterum victo denuo fiet? Quomodo principi librum monstrare potero, in quo ne minima quidem laus eius invenietur?

Mo.: Primum tibi certe antiquissima gesta populi nostri scribenda erunt. Antequam ad tempora Kazimiri pervenies, hoc bellum intestinum fortasse aliquando denique finitum erit.

Vi.: Finitum? Poteritne hoc bellum umquam finiri? Praeterea quomodo quicquam scribam de gestis antiquissimis? Nemo tam grandaevus vivit, ut mihi de tam remotis temporibus aliquid narrare possit.

Mo.: Tamen multa a maioribus nostris tradita sunt. Audivistine, exempli gratia, hic in urbe Cracovia olim draconem habitavisse?

Vi.: Draconem?! Hoc mihi nemo narravit.

Mo.: Certe abbas non vult nos de talibus rebus loqui, nam dicit dracones ad superstitionem paganam pertinere... Sed hic re vera, ut avus mihi narravit, ante multa saecula vixit draco terribilis, sub ipsa arce regia.

Vi.: Sub arce? Quomodo reges antiqui ibi habitare poterant, cum draconem sub pedibus haberent?

Mo.: Nescio... Fortasse arx ibi tunc nondum erat.

Vi.: Narra mihi omnia, quae de his rebus scis!

*Abbas hortum intrat.*

Ab.: Salvete, fratres! Spero vos tempus piae lectioni dedicatum non vanis sermonibus perdere?

Mo.: Immo de piissimis rebus loquimur!

Vi.: De evangelio, quod modo legimus...

Ab.: Bene, bene. Pergite ergo legere!

*Abbas abit.*

Mo.: Sunt et alia, quae avus mihi narravit. Olim populus noster tam fortis erat, ut etiam potentissimum regem orbis terrarum vinceret!

Vi.: Quem? Imperatorem Germanum?

Mo.: Non imperatorem Germanum! Olim in Graecia erat rex multo maior, qui omnibus undique terris imperabat...

Vi.: Puto me de illo aliquando iam audivisse. Nonne ei nomen erat Iustiniano?

Mo.: Iustiniano? De rege eius nominis nondum audivi. Is, quem dico, vacabatur Alexander. Expugnaverat Syriam, Aegyptum, Bactriam, Persiam...

Vi.: Ubi sunt illae terrae?

Mo.: Nescio, sed non refert. Expugnaverat, ut dixi, terras maximas, ditissimas, munitissimas. Sed cum Polonos aggredere...

## SCAENA II

*Saeculo IV a. Chr. n.: Alexander Magnus in castris suis iuxta urbem Cracoviam positus in tentorio sedet et epistulam legit.*

Am.: Salve, Alexander!

Al.: Salve, amice!

Am.: Quid legis?

Al.: Modo mihi Aristotelis epistula allata est. Monet me, ut aliquando finem expugnandi faciam, ut terris, quas nunc possideo, contentus sim.

Am.: Hmmm... Fortasse hoc non tam stultum est, quam tibi videtur.

Al.: Quid? Ego Alexander rex Macedonum...

Am.: Ausculta modo...

Al.: Prior tu auscultabis! Ego Alexander rex Macedonum necnon pauculorum aliorum populorum consilium senis istius meticulosi sequar? Istius philosophi temperantissimi, qui etiam nunc putat se magistrum meum esse et qui numquam quicquam docet nisi „ne quid nimis“?

Am.: Sed undique audivimus Polonos illos esse populum vere fortem!

Al.: Haha, fortem! Suntne tibi oculi in capite? Videsne, quam pulchre castra nostra illuminentur igne, quo consumitur urbs ista Cerac... vel Corac...

Am.: Cracovia, si recte memini.

Al.: Quis potest nomina ista barbarica memoria tenere! Sed fortasse vides, quid populus ille tam fortis a nobis passus sit? Paene omnem terram eorum vastavimus, omnes urbes, quae nobis obviam errant, expugnativimus et delevimus, ultimam denique hanc... Coraciam incendimus, etiam arcam regiam destruximus...

Am.: Sed etiam audivimus Polonis ingenia callidissima esse. Nemo scit, quos dolos in nos confecturi sint.

Al.: Dolos? In me Alexandrum regem Macedonum, qui educatus sum ab Aristotele?

Am.: Modo eum appellavisti senem meticulosum...

Al.: Per Bacchum, semper aliquid invenis, quod contradicas! Tace denique et desine molestus mihi esse!

*Surgit et amicum mucrone petit.*

Am.: Bene, bene, noli irasci! Certe scio nullum populum tibi resistere posse. Iam absum!

### SCAENA III

*XVI saeculis ante: duo milites Poloni in silva latent.*

1: Sonum audivi! Di magni, servate nos!

2: Noli timere! Hic, in media silva, Macedones nos nullo modo invenient.

*Tertius miles accurrit.*

3: Salvete, sodales!

1: Dis gratias! Nuntius revertit.

2: Quid vidisti? Quid Macedones Cracoviae faciunt?

3: Cracovia non iam est. Milites Alexandri urbem incenderunt, moenia deleverunt, arcam solo aequaverunt.

1: Eheu, vae nobis! Quid faciamus!

3: Fortasse non oportuit legatos Alexandri interficere?

2: Quid? Poloni sumus! Et legati isti tributum a nobis postulaverunt! Num Polonorum virtute dignum est regi alieno tributa solvere?

- 3: Sed nunc valde gauderemus, si solum de tributis ageretur! Exercitus noster paene totus extinctus est, terra ab hostibus vastata, caput regni incensum et deletum...
- 2: Nemo scire potuit fore, ut Alexander tanta cum saevitia ulcisceretur.
- 1: Quid? Si legatos modo necavissemus, fortasse liceret hoc dicere. Sed vivis cutem detrahere, deinde cutes eorum algis impletas Alexandro mittere cum epistula, in qua dicebatur: O bestia avarissima, hoc est tributum, quod tibi solvimus...
- 2: Hmm...fortasse hoc paululum imprudens fuit. Sed cutes legatorum vere summa arte consutae et algis impletae erant! Vidi eas, antequam ad Alexandrum missae sunt. Paene vivi homines videbantur.
- 1: Certe, optime Alexandro illusimus! Vere summa arte! Et nunc? Quid faciamus? Fugiendum est, et quidem in loca quam remotissima!
- 2: Fortasse etiam aliquid aliud facere poterimus... Exspectate! Modo mihi aliquid in mentem venit. - Euge, iam inveni!
- 3: Quid invenisti?
- 2: Modum Macedones vincendi.
- 1: Delirasne?
- 2: Minime! Faciamus nobis galeas et clipeos ex ligno vel cortice arborum.
- 3: Scilicet ut a gladiis Macedonum primo ictu frangantur!
- 2: Auscultate modo! Non in animo habeo comminus pugnam cum Macedonibus inire, sed eos dolo quodam decipere. Faciamus ergo galeas et clipeos ex ligno, quod deinde felle tingamus.
- 1: Quamobrem?
- 2: Lignum felle tinctum splendet ut aurum. Credite mihi, aurifex sum!
- 3: Iam numquam a te aurum emam.
- 2: Et si has galeas et hos clipeos apto ordine in monte posuerimus, Macedones magnam aciem militum imminere putabunt.
- 3: Sed poterimusne eos hoc modo vere ita terrere, ut fugiant? Ipsi permulti sunt, et quam fortes et audaces essent, experti sumus...
- 2: Certe non statim fugient, sed ipsi aciem instruent, ut contra nostram pugnent. Sed hoc aliquod tempus consumet. Interim nos aciem nostram celeriter flammis trademus, ne Macedones intellegant se deceptos esse. Milites nostros in silvam dilapsos esse putabunt, et ipsi in omnes partes discurrent, ut eos persequantur. Nos autem ex insidiis facile omnes caedemus.
- 1: Facile omnes caedemus... Homo plenus spei esse videris. Sed in quo monte auream illam aciem instruamus?
- 2: De hac re nondum cogitavi. Fateor hic non tam multos montes esse... Iam scio: in Nemore Volsco! Ibi Macedones eam ex castris iuxta Cracoviam sitis certe videbunt.
- 3: Optime! In Nemore Volsco! Optimum consilium! Statim proficiscamur!

## SCAENA IV

*Post pugnam: milites Poloni victores e castris Macedonum exeunt.*

- 2: Euge, di nobis adfuerunt!
- 3: Sapientissus fuisti!
- 1: Ego?
- 3: Certe! Tuum consilium fuit Macedonibus necatis vestes et arma detrahere, ut ipsi indueremus.

- 1: Consilium? Solum mihi subito in mentem venit unum ex mortuis despoliare, et vos me imitate estis.
- 3: Certe! Hac de causa dico tuum consilium fuisse.
- 2: Et optime fefellimus hostes! Re vera nos quoque Macedones esse putabant. Et quoantopere territi sunt, cum deinde subito et ex inopinato eos interficeremus!
- 3: Tuum autem consilium fuit castra eorum ingredi!
- 2: Quod nobis optime evenit! Ipse maxime miratus sum, cum omnes nos victores salutarent, nobis victoriam gratularentur...
- 1: Ah, hoc ergo dixerunt?
- 2: Hoc quidem mihi videor intellexisse.
- 3: Et re vera, ut dixisti, facillime omnes interfecimus!
- 2: Et ipse Alexander nobis auxilium tulit! Quis hoc nobis credit?
- 1: Sed qua de causa custodes regios nobiscum contra suos pugnare iussit? Non intellego.
- 2: Si bene intellexi, seditionem inter milites ortam esse putabat.
- 1: Ah, certe! Vidit Macedones contra Macedones pugnare.
- 3: Et putavit nos esse parvam manum fidorum seditionem reprimere conantem! Nunc et ego intellego.
- 2: Di nobis vere maxime affuerunt! Oportet eis sacrificium facere.
- 1: Oportet certe, sed quid immolemus? Macedones in tota provincia ne unam quidem capram vel ovem vivam reliquisse videntur.
- 2: Fortasse aves nonnullas capiamus?
- 3: Scio, quid faciamus: Immolemus arma Macedonum!

## SCAENA V

*A.D. 1180: Vincentius et alter monachus in horto monasterii.*

- Vi.: Vere mirabile auditu! Talis fabula certe dignissima est, quae posteris tradatur.
- Mo.: Cave! Abbas venit.
- Ab.: Etiam nunc colloquimini, fratres? Dignum certe et iustum est de verbo Domini disputare, sed mementote hanc horam legendo dedicatam esse. Disputare alias licebit.
- Vi.: Legebamus! Modo nunc denuo disputare coepimus.
- Ab.: Re vera? Monstra mihi, quod usque adhuc legisti! - Bene, video te sedulo legisse. Quid autem ad te, frater Vincenti? Quare tu nullum librum habes?
- Vi.: Quia... Nuperrime a principe reverti...
- Ab.: Non ita nuperrime. Vidi te monasterium intrantem.
- Vi.: Sed... evangelium mente repetebam...
- Ab.: Mente repetebas? Num evangelium ita memoria tenes, ut tibi nullo libro opus sit?
- Vi.: Non totum, sed quod hodie nos leger iussisti, satis bene memoria teneo. Quamobrem, cum a principe reverterer, nolui librum ex bibliotheca afferre, ne tempus piaae lectioni dedicatum perderem.
- Ab.: Recita igitur!
- Vi.: Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra.
- Ab.: Bene, bene, satis est. Video tibi mentem capacem esse. Fortasse tu posthac nobis in refectorio cibos sumentibus evangelium recitabis? Commodum erit; non necesse erit

bibliothecam recludere, ut liber afferatur. Sed regula ordinis Sacram Scripturam legi iubet, non ex memoria recitari. Praeterea non oportet uni monacho occasionem coram fratribus gloriandi dare. Nam memento, frater Vincenti, indolem istam, quam Deus tibi dare dignatus est, non esse tuum meritum, sed instrumentum, quo humiliter utaris ad maiorem Dei gloriam.

Mo.: Vel ad maiorem populi Poloni gloriam...

Ab.: Quid ais?

Mo.: O, nihil, nihil. – Sed ignoscas, pater, liceat mihi quiddam ex te quaerere...

Ab.: Licet.

Mo.: Iam diu curiosus librum specto, quem manibus tenes. Novus esse videtur?

Ab.: Immo novissimus. Hodie emi.

Mo.: Unde eum emisti? Ex optimo pergamento factus esse videtur, et litterae tam pulchrae sunt, ut certe nullus scriptor monasterii nostri eas scripsisse possit. Scio certe verum splendorem libri numquam in pulchritudine externa esse, sed... quam mirabiles miniaturae!

Vi.: Et quales initiales! Quanta arte pictae!

Ab.: Parisinus codex est. Emi eum a Rudolpho bibliopola, qui semper optimos libros venales exhibet. Assentior talia in nostro monasterio neque scribi neque pingi posse. Sed recte memoras verum splendorem librorum esse in rebus, quas ex iis discere possis; quibus hic liber abundat. Summae doctrinae necnon summae virtutis plenissimus est, ut omnes libri Rudolphi.

Vi.: Re vera? Sed modo mihi visus sum in eo aliquid lasci...

Ab.: Quid von iuvenes imperiti in eo videritis, nullius omnino momenti est. Credite mihi, qui iam ad elevatiora doctrinae fastigia perveni.

Mo.: Licebitne et nobis aliquando eum librum legere, ut ad eadem fastigia ascendamus?

Ab.: Vobis adhuc multis annis studiorum opus est. Adulescentium animis talia periculosa sunt. Quamobrem severissime vos veto auctionem adire, quam Rudolphus hodie faciet.

Vi.: Auctionem?

Ab.: Ah, nondum audivistis de ea? Rudolphus hodie omnes libros chartulasque offert eis, qui plurimam pecuniam pro eis promiserint, incipiens a dimidio pretio usitato.

Mo.: Pater, si forte quisquam ex monachis iunioribus tam audax, tam pravus, tam expers omnis disciplinae et oboedientiae sit, ut vel abate vetante auctionem eam adire audeat, qua poena putes eum dignum esse?

Ab.: Non necesse est poenam constituere, nam nemo praeter me auctionem adibit.

*Vox clamantis ex foro Cracoviensi auditur:*

Venite, venite ad Rudolphum bibliopolam! Libri doctissimi! Tabellae, stili, chartulae arte mirifica pictae! Venite ad Rudolphum bibliopolam!

*Abbas abit. Monachi paululum exspectant, deinde post eum ad auctionem currunt.*